



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Peccatis Et Gratia, Fide, Spe, Et Charitate

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Punct. Diff. 1. Daturne gratia sufficiens proximè.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82969](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82969)

DISPUTATIO VI.

De aliis Divisionibus Gratiae Actualis.

Plures Divisiones supra perstrinximus. Unum vel alterum membrum Scholasticè discutendum erit.

QUÆSTIO I.

De Gratia sufficienti.

Membro, quod est gratia efficax, opponitur gratia sufficiens. Hinc tractando secerni à se invicem nimium non debent.

DIFFICULTAS I.

De Gratia sufficienti secundum se.

PRÆMITTO I. Bene appellari aliquam gratiam sufficientem, habetur fundamentum in Scriptura. Nam 2. ad Corinth. 12. dicitur Paulo: *Sufficit tibi gratia mea.* Et ad 2. Corinth. 3. *Sufficiencia nostra ex Deo est.* Et quamvis hoc nomen non haberetur, Sufficit quod usus acceptarit hoc nomen in Scholis accedente necessitate exprimendi quæstiones disputandas; & sicut nomen homouision, transubstantiatio, necessitas assumpsit; ita & dictum nomen assumere potuit. Quanquam S. Thom. 1. 2. q. 106. art. 2. ad 2. agens de Lege Nova. *Sufficiens*, inquit, *auxilium dat ad non peccandum.* Et Scot. in 1. dist. 46. q. unicâ ad 1. *Deus*, inquit, *vult omnes salvare homines quantum ex parte sui, voluntate antecedente, pro quibus dedit dona naturalia, & leges rectas, & adiutoria communia sufficientia ad salutem.*

PRÆMITTO 2. Quid veniat nomine gratia sufficientis? Triplex est acceptio gratia sufficientis. Cujus etiam meminit Suar. l. 4. de grat. c. 2. num. 3. I. Pro auxilio proximè sufficienti. Illud sic definit Suar. *Quando homo per auxilium in se receptum, potest aliquam operationem efficere, sine intervenitu alterius prioris operationis, quam impetret majus auxilium.* Posset & aliter per aliquid quasi prius, & non per negationem intervenientis prioris operationis sic describi gratia proximè sufficientis, quod sit adiutorium, quo posito à parte principii nihil desideratur, ut ponatur operatio gratiosa. Ubi ut vides gratia sufficiens proximè, est conflatum ex pluribus, sancta cognitione, piâ affectione, gratia excitante, imò & gratiâ adjuvante præparatâ; ita ut casu quo non sequatur operatio, debeat defectus ejus rejici in libertatem creaturæ. Dixi, quod operatio non sequatur ex hoc auxilio rejici debere in libertatem creaturæ, quia abso-

lutè, quod etiam ex aliis auxiliis non sequatur, quæ Deus offerre posset, rejici debet in iudicio Dei. II. Nomine gratia sufficientis venit per Suarez. Quando homo nondum recipit in se totum auxilium necessarium ad opus, habet tamen à Deo paratum, si se disponderet & illud impetraret. III. Auxilium est sufficiens remotissimè. Illud sic describit Suar. quod ex parte Dei, homini offertur sub aliquo modo vel conditione, quamvis nondum per aliquod supernaturale auxilium inchoatum in homine sit.

PRÆMITTO 3. Quod primam acceptionem gratia admittat tota Societas. Negant Janfenista, ut intelligere est ex epist. 2. Montaltii, & ex 1. nota ad eandem. Stabilienda hic erit gratia ista sufficiens dicto 1. sensu, de qua Janfenius tom. 3. lib. 3. c. 2. col. 254. dicit. Gratia sufficiens videtur esse monstrum quoddam singulare gratia.

Punctum Difficultatis 1.

Daturne Gratia sufficiens proximè.

DICENDUM est. Dari defecto gratiam primam acceptione. hoc est, proximè sufficientem, seu adiutorium, cum quo possit homo operari si velit. Quidquid sit an interdum detur tantum remotè sufficientis, de quo consule Suar. inter alia Lib. 4. c. 18. num. 32. Ruiz de Prædictis disp. 45. num. 15. & disp. 39. Sect. 2. Ripalda disp. 20. num. 52.

PROBATUR I. Auctoritate S. Script. l. c. 5. v. 4. *Quid est quod ultra debui facere mea.* Si autem non daretur gratia sufficiens proximè, dicere possent Judæi, non dedisti gratia adiutorium, sine quo tamen nihil possumus. Defectum quæ conversionis referre debet Deus in defectum adiutorii, non autem in voluntatem, & tamen refert in voluntatem, & tamen refert in voluntatem illis verbis, Matth. 23. *Quoties volui congregare filios tuos &c. & nolui.* Actor. 7. dicitur. *Vos semper Spiritui Sancto resististis,* & tamen gratia efficacis non relinquitur sed sufficienti; nomine autem Spiritus S. non debet intelligi sola prædicatio externa: quia PP. admittunt gratiam interiùs sonantem.

PROBATUR 2. Auctoritate Tridentinæ et cap. 11. de Justificat. Falsa est per Trident. hæc propositio: Dei præcepta homini justificato ad ob-

ad observandum sunt impossibilia. Ergo illa observare potest. Ergo debet habere gratiam ad illa observanda: additur enim ibidem, quod utique cum divino auxilio præstare possunt, quo posito sic urgetur. Quando aliquis iustificatus non observavit præceptum divinum, vel erat illi impossibile, vel non erat possibile observare illud, si non erat possibile, Ergo impossibile, quod est contra Tridentinum. Si erat possibile. Ergo habuit gratiam sufficientem proximè: quia non nisi ex suppositione illius secundum præsentem quas habet vires posset illa observare: ut alibi urgebamus, incompletaque ratione principii potentia, absolute vocatur impotentia, & ita in tenebris non possumus, seu impotentes sumus videre: quia deest requisita ad videndum lux. Ad quod respexit August. de Nat. & grat. c. 26. Oculi inquit, Corporis etiam plenissime sanus, nisi candore lucis adjutus videre non potest.

Ex eodem Tridentini loco, sic urgetur. Quando aliquis non observat præcepta, vera est propositio illius capitis, Deus impossibilia non jubet, sed jubendo movet, & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat ut possis, & si non esset dicta propositio vera, hoc ipso Deus impossibilia juberet. Quod si non jubet impossibilia. Ergo implet illam causalem & adjuvat ut possis. Cum Tridentinum reddat illic quasi causalem cur illud præceptum non sit impossibile: quia adjuvat ut possit, sed non adjuvat eum, qui non observavit præceptum, gratia efficiaci. Ergo adjuvat sufficienti. Quod autem juvet gratia proximè sufficienti hominem iustificatum, ratio est: quia si non haberet completam potentiam, impossibilia præcepta illi essent. Sicut impossibile est physicè autem volare sine aliis, & oculo videre sine luce.

PROBATUR 3. Auctoritate Augustini.

1. Est ex Libro de Correctione & gratia c. 7. *„Iustior videtur excusatio dicentium non accepimus audientiam, quam non accepimus perseverantiam, quoniam dici potest homini, ex eo quia audieras, & tenueris, eo perseverares si velles. Et cap. 11. istam gratiam, (supple efficacem) non habuit primus homo, quā nunquam vellet esse malus, sed sane habuit, in qua si permanere vellet, nunquam malus esset, & inferius. Tale erat adiutorium quod deferretur ei vellet, & in quo permaneret si vellet, non quo fieret ut vellet.*

2. Ex Lib. 2. de peccat. merit. & remiss. c. 6. *„Dubitare non possum, nec Deum aliquid impossibile homini præcepisse, nec Deo ad optulandum, & adiuvandum quo fiat, quod jubet, impossibile aliquid esse, ac per hoc potest homo si velit, esse sine peccato, adjutus à Deo, en agnoscit auxilium. Quod posset si vellet.*

3. Est ex lib. 83. quæst. 68. ad illam cænā quam Dominus in Evangelio preparat, nec omnes vocati ad illam venerunt, neque illi qui non venerunt, venire possunt, nisi vocati, itaq; neque illi sibi tri-

„buere debent qui venerunt: quia vocati venerunt, neque illi qui noluerunt venire debent alteri tribuere nisi sibi, quia ut venirent vocati, erat in eorum libera voluntate. Quomodo autem esset in eorum libera hic & nunc voluntate venire, si aliquid desideraretur à parte principii?

4. Auctoritas est, ex lib. de peccat. merit. jam cit. c. 17. ubi quærens. *„Cum homo in hac vita possit esse sine peccato. Cur non sit? Respondet, possem facillime & veracissime respondere: quia homines nolunt. Ergo apparet defectum illum non in Possesse, sed in Negationem liberæ operationis rejici debere, quamvis habitum fuerit Possesse gratiæ sufficientis.*

5. Est, ex lib. 1. de Gen. c. 3. *„Solis istius corporei lumen non illuminat omnem hominem, sed corpus hominis & mortales oculos, in quibus nos vincunt Aquilæ oculi, qui solem illum multo melius dicuntur quam nos aspicere; illud autem lumen non irrationabilium animalium pascit oculos, sed pura corda eorum qui Deo credunt, & ab amore visibilium rerum & temporalium se ad ejus præcepta servanda convertunt, quod homines omnes (subdit) possint si velint: quia illud lumen illuminat omnem hominem vententem in hunc mundum.*

PROBATUR 4. Auctoritate S. Thomæ.

1. Auctoritas est. Ex prima secundæ sup. citata.

2. Auctoritas de verit. qu. 24. a. 11. in Corpore. *„Obstinatio in via est imperfecta, ita quod non de facili possit quis cooperari, ut exeat de peccato, non potest autem ita esse obstinatus in malo, quin ad suam liberationem cooperari possit.*

3. Auctoritas in cap. 1. ad Corinth. lect. 1. *„Non videretur esse fidelis Deus, si nos vocaret ad Societatem filii, & nobis denegaret, quantum in ipso est, ea per qua pervenire ad eum possemus. Plura vide in Thesisibus 99. Derkennis.*

PROBATUR 5. Rationibus, quarum indiculum fusiùs à Ruiz tractatarum facio. Conclusio hujus gratiæ pertinet ad meliorem providentiæ modum, quam non servari, nec ratio nec Auctoritas probat, ut ostendit Ruiz d. 40. de Prædest. Sect. 6. & si non daretur, tunc initium impediendi justificationem non à nobis, sed à Deo foret, si scilicet Deus negaret aliquid simpliciter requisitum ad actualiter operandum, ut ipse ostendit disp. 41. Sect. 1. ad quod respiciunt illa verba de Correp. & grat. c. 3. *„Potest dici homini, in eo quod audieras & tenueris, in eo perseverares si velles, nullo autem modo dici potest, ad quod non audieras crederes si velles. Cum igitur Deus expectet peccatores ut misereatur, non potest dici, quod denegat ex sua parte aliquid necessarium ad actionem, ut idem ostendit d. 41. S. 6. ad quod respexit August. epist. 107. ad Vitalem. Quomodo Dominus Deus expectat voluntates hominum ut preveniat eum, ut eis det gratias, cum gratias ei non immerito agamus de iis, quibus, ei non cre-*

(R) 4. dentibus,

dentibus, &c. misericordiam prorogavit. Exprobrat Deus in vacuum suas gratias receptas. Iſai. 5. Matth. 21. ad Hebr. 6. immeritò autem id faceret, si à sua parte requisitam ad agendum gratiam non conferret. Ut ostendit idem D. 42. Sect. 1. & reliq.

Imò nec sanctitas uniùs, alterius peccatum damnaret, si peccans non haberet necessarium ad agendum requisitum, ut videre est apud eundem Sect. 7. Unde etiam Aug. respondens ad hoc, quòd si peccarunt primi Parentes in natura integra, nobis multò magis peccandum sit, respondens inquam lib. 3. de libero arb. c. 9. inquit, *Recte fortasse quærentur si erroris & libidinis nullus hominum victor existeret. Cum verò ubique sit præsens, qui multis modis per creaturam sibi Domino servientem, aversum vocet, doceat credentem &c. conantem adjuvet, exaudiat deprecantem, non tibi deputatur ad culpam, &c. quòd vulnerata membra non colligis, sed quòd volentem sanare contemnis.* Addo, ex eo ipso, quia nos præcepta obligant, colligi potest, nihil nobis sufficiens & necessarium ad operandum, deesse, alias præciperet nobis quòd non est in nostra potestate, quòd argumentum dilatat Ruiz totà disp. 43. Ad quòd respicit Aug. l. de natura & grat. cap. 69. eo ipso quòd creditur, Deum justum & bonum impossibilia non potuisse præcipere hinc admonemur in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus. Addè ejusdem locum in Pl. 56. *Neque imperaret hoc Deus si impossibile judicaret ut ab homine fieret, si considerans infirmitatem tuam deficiis sub præcepto, confortat in exemplo, adest ille qui præbet exemplum, ut præbeat & auxilium.*

Denique si ipsi præsciti & prædestinati habent gratiam sufficientem, multò magis alii. Antecedens autem docet Aug. l. de Præd. & grat. c. 13. *Alios derelinquens ad æqualitatis iudicium reservavit, nulli tamen agnoscenda veritatis absulit facultatem.*

Punctum Difficultatis 2.

Explicentur Auctoritates in oppositum.

1. **A**UCTORITAS est. Ex Sac. Script. quæ non rarò dicit de reprobis & obduratis, & in particulari ad Hebræos 6. *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati &c. & prolapsi sunt renovari ad penitentiam.*

RESPONDETUR. Illo loco non plus velle Apost. quàm quòd baptisatis non detur renovatio per iteratam baptisimi susceptionem, sed & aliter hic & alii loci explicari possunt, quòd Ly impossibile sumatur illic pro valde difficili, & rarò evenienti, non autem pro simpliciter impossibili, hujus habetur fundamentum in Arist. lib. 1. de Cælo cap. 11. *Impossibile inquit, dupliciter dicitur, aut enim, quia non verum est dicere ortum esse posse, aut quia non facile, nec cito, nec bene oriri potest.* Similia habet S. Thom. 1. par. q. 86. art. 1. ad 2.

2. **A**UCTORITAS est Aug. in lib. de Cor-

rept. & grat. cap. 11. *Si hoc adjutorium, vel Angelo, vel homini, quàm primum facti sunt defuisse, quoniam non talis natura facta erat, ut sine divino adjutorio possit manere si vellet, non utique sua culpa cecidissent, adjutorium quippe defuisse, sine quo manere non potuissent, nunc autem quibus deest tale adjutorium jam pæna peccati est.*

RESPONDERI solet 1. Quòd hic locus debeat intelligi de negatione auxilii efficacis. *Hæc Responsio*

NON SATISFACIT. Quia hic loquitur de adjutorio quòd datum Angelis malis, & Primis Parentibus, hoc autem non erat efficax. Rufus: quia agit de auxilio quòd si non daretur, sine culpa caderent Angeli & Adam, sed hoc non nisi fuit sufficiens: quia cum efficaciam non cecidissent. Nec est ad hoc recurrere, quòd hic Augustinus agat de gratia habituali; nam si caruisset Adam gratia habituali, habuisset autem sufficientem, cum culpa cecidisset, & tamen hic ait Augustinus de gratia, quàm si caruisset Adam, sine culpa cecidisset.

RESPONDET 2. Ruiz de Prædest. cap. 47. Sect. 7. Pæna Originalis est, quibus deest adjutorium tale; quale non defuit Angelo, & primo homini, videlicet: ut sine ulla difficultate posset perseverare si vellet. *Hæc Responsio*

NON SATISFACIT. Quia de tali hic auxilio loquitur Aug. quòd nisi datum fuisset primo homini, sine culpa cecidisset; hoc autem auxilium, non est facilitativum, præcisè loquendo. Nam quamvis non facilitasset; modò dedisset sufficientes vires ad agendum; non utendo illo cum culpa cecidisset Adam.

RESPONDERI potest 3. Quòd agat hic quidam August. de auxilio sufficienti, dicitq; illud datum Angelo & Adamo; & si hoc non fuisset datum, cadere illi non fuisset culpa: quia denegatio illius auxilii, non fuisset in pœnam alius antecedentis peccati facta; sed referri deberet in meram voluntatem Dei, consequenter cadere sine illo auxilio non fuisset illi culpa. Sed quamvis nos hoc auxilio careamus: quia negatio illius in originale; & actualia nostra, referri potest, adhuc sine illo cadentes, verè peccamus. Hanc responſionem non esse damnandam videtur supponere Pallavic. in votis Consultorum apud Montalcium in Censura primæ propositionis, si hæc censuræ non sunt Apocryphæ. Sicquæ docent Henricus, Gregor. Cajetan. Roffens. Ruardus. Omnes apud Vasq. in 1. p. disp. 97. cap. 2. *Hæc Responsio*

NON SATISFACIT plenè, quia non se expedit distinctè ab hac propositione. An detur auxilium sufficiens, de quo hic, supposito etiam originali.

RESPONDET 3. Suar. lib. 4. de Gratia, cap. 18. num. 16. Quòd scilicet datum sit auxilium primo parenti tale; ut cum illo non tantum singula peccata, sed etiam omnia collectivè vitare posset; adeoque etiam perseverare in gratia;